S E

(Cla

D.

COLL

Ec

C

Vi

Ex ei

M. STA

Anno

Apud P

Apud

CORONA SEPVLCHRALIS

Perenni monumento,

Clarissimi olim, & Admodum Reuerendi Domini,

D. M. FLORIANI LEPIECKI,

COLLEGÆ MAIORIS, S. TH. PROFESSORIS,

Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Canonici,

Contubernij Iagelloniani PROVISORIS,

Viri de re literaria optime meriti,

Ex eiusdem Virtutum & meritorum, pulcherrimo nexu, castis Musarum manibus,

Superimposita;

& A

M. STANISLAO IOZEPHO BIEZANOWSKI, Leopol. Collega Minor, Ord: Poëseos Professore,

Ad iusta funeralia,

Victuræ clarissimi Viri memoriæ,

Pio, lugubriq; affectu,

CONSERVATA.

Anno Salutis M. DC. LXVI. Die 3. Mens: Decem.

CRACOVIÆ,

Apud Heredes & Successores LVCÆ KVPISZ, *S. R. M. Typ.*

Apud Heredes et Successores LVCÆ KVPISZ

CORONA
SEPVLCHRALIS.

Tumulos ſapientum, coronarum in modum componere,
ad coronidem Sapientiæ ſpectat.
Heroas, victoreſq; in Regno ſapientiæ dari, vt nemo ambigit;
ita nulla terræ portio, felicior, digniorq; coronis;
quam quæ in Sarcophagum illis conceſſa, non flores tantùm germinat,
ſed coronas.
Luctator perpetuus, virorum ſapientum animus,
per continuas ſui victorias, ad coronas vſq; ſatagit.
Quidni in exuuijs quoque corporis victor?
quas depoſuit libens, non extortas proiecit.
Lacernam hanc corporis,
rigor ſapientiæ, laceram mauult, attritamquè;
quàm non in vſu, diſciplinæq; ſenſu.
Pulcherrimum illi; ſi velut in Sceuæ ſcuto,
per centenas laceri corporis rimas, fortior tranſpareat.
Nimirum
Lætior nunquam magnus ille ſapientis animus;
quàm cum lacerna hæc, iam & ſarciri recuſans, ſolutâ compage deciderit in vrnam.
Hoc demum eſt in opere viuere, in opere mori:
Hoſtemque dentibus cum nauigio mordicus tenere,
ſi dextram, leuamque amputauerit.
Quidni tam emerito, conſumptoq;, in opere virtutis corpori,
tumulus in coronam aſſurgat?
Non fruſtra à Theſſalis primùm coronæ in ſepulchra venêre;
ſed ab Achillis tumulo coeptæ.
Bellator ille ſpiritus, in paludamento ſuo coronari debuit:
argumento futurus; exuuijs corporis tum optimè, tumulos in coronã componi,
cum animo ſeruierunt ad victorias.
Tibine verò, decus hoc ſepulchrale negabimus,
coronarum vel ipſo nomine ferax,
Virorum olim in Regno ſapientiæ flos lectiſſime,

FLO-

FLORIANE LEPIECKI:

Maximus Tibi, ex Te ipſo, virtutis, gloriæq; nexus:
Vitaq; omnis dum à florido nomine cœpit, abiit in coronam.
Virum Te nominis, Tui, vrna quoq́, circumferat;
Quæ cum in Floralia Muſarum effloruerit, feralis eſſe deſinet.

Hoc nimirum egerat Sapientia,
Quæ Te per eruditos pulueres, ad vſq; coronarum laureas prouexit,
Vt flos viueres perpetuus, FLORIANVS in vita, coronatus in morte.

Decus Ephæſtionis ſepulchrale
duodecim talentorum millibus Alexandro conſtitit.
Quidni tam portentoſus auri nimbus ab hac nube?
Tuus Tibi calamus, tuum omne impendium
Ephæſtiones. Alexandroſq; in funere vicit:
quia funera ſupergreſſus, coronas in tumulo ſcribit, inſcribitq;.
O Diuinum ſapientiæ inuentum!
poſſe mori, deſinere non poſſe:
eodem ingenio, ad momentum ſæculaque fœnere:
eodem impendio præſentia poſteroſque lucrari.
Meruit hoc fecitq; deducta ad vitæ coronidem
conſumataq; viri clariſſimi virtus & Sapientia.
Felici, proboq; ingenio; labor improbus cum pertinaci ſtudio ſociatus
maturos ſub flore iuuentæ, aſſurrexit in fructus.
Dixiſſes vnum in pectus Gratias immigraſſe omnes.
ita nihil ab hoc ingenio ſuadaq; Gratijs omnib' non delibutum
Nunquam profecto humaniores literæ cultius;
quàm in cultiſſimo FLORIANI pectore habitarunt;
in quo flos illibatus animi lepoſq;, nō Taſculanū Muſis tantùm;
ſed Tibur quoq; Hymettumq; fecerat.
Ingenij palmam vbique adeptus, laurus quoque Academicas exmerito accepit.
Ceſſant alij dum ad coronas veniunt:
implicantq; animum dum frontem explicant ad Corymbos.
Ille tum vel maximè in ſtadio puluereq; ;cū in Olympicis Academiæ laureatus proceſſit
Diuina Poëſis, ſuadaque aureas viri manus
cum ad ſæculi noſtri gloriam calamo aptaſſet tornatiles fecerat.
Quidquid ex hac officina prodijt, ad tornum amuſſimque exactum,
inter operum inſignia habitum eſt.
cùm omnia lucem meruiſſent, quæ ſcripſerat;
lucem non omnibus conceſſit, quam dederat omnibus.

 Cala-

Calamum tamen eius, lux vbique secuta, etiam cùm negasset, prorupit.
vna manus, in opere Centimanos prouocans,
Lampades in funeribus accendit; Felicitatem Poloniæ ex Lilijs,
Messem ex triumphis VLADISLAI collegit;
Coronas Ciuicas Regibus, Vota Secunda connubijs Principum dedit;
ceu augustis tantum nominibus sacra:
cùm multa scriberet: nunquam non in coronas, mytrasque incidens,
Maiestatis vbiq; negotium ageret, spiraretq;.
Secuta ad vtrumq; Collegium, sua Viri calamum Maiestas,
Tullium, è cathedra TILICIANA, ore tam natiuo expressit
Quam nihil, ad priscam Latij normam, purius.
Arcana Theologiæ aggressus,
Theologus iam pridem in Romana Sapientia, Doctor,
Scientiæ, conscientiæq; profectu, vtramq; paginam impleuit.
Ab eo tempore, rigidus sui exactor factus,
Nunquam non sub Catone Censorino vixit.
Cum sublimius ascendisset, descendit in se profundius:
Ad misterya doctrinæ, Vitæ quoq; ministerium disponens;
Secreuit animum longiùs, quò seueriùs castigaret.
Extenuare Vitam non timuit;
Dum attenuata in spiritum, eo propiùs accederet;
Vbi secretorum à comertio carnis Spirituum, sedes est.
compositus intra, moriq; in lucro ponens,
Disposuit mortē in vita, præuenitq;, semper in portu nauigans.
Suprema stabulas, indentidem repetens, reformansq;, naufragium mortis effugit.
Agere, & pati fortia, Academicum esse,
Moribundo ad ferias septembres, sermone, cùm decreuisset;
Decretum ipse suum, tuleritne animosius, an subierit,
Ad excessum Nouembris, in Cruce Christi, cum D. ANDREA excedens,
Anxiâ Curiosas mentes disquisitione absoluit.
Putasses eum ex pacto cum morte agere;
Ita sermocinari de ea, festiuèq; in vestibulo tractare licuit.
Nimirum, serenum hoc, à conscientiæ luce, nitoreq; ;
Cui dum immoritur;
Ad huncè sepulchralis, in exuuiis Corona, non efflorescet?
Quarum animus, vel in nouissimis, tantùm effloruit.
Circumdabit hunc, Coronâ iustitiæ Deus;
Dum in monumento quoq; Coronatum,
Sua vbiq; sequetur
FLORIANVM CORONA.

s,
ſit

it.

s;

s.
it.

;

t.

s;